



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. III. Vtrum homo lapsus possit honestè operari aliquando per
quamcunque virtutem, siue naturæ, siue etiam gratiæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

Etus valde moderatus constanter, & quasi permanenter necessarium etiam est frequenter, & ordinariè, & in difficilibus etiam occasionibus prudenter operari, quod sine gratia fieri non potest, iuxta quæ in cap. ultimo huius libri dicemus. Ad fundamentum secundæ opinionis, quod positum est in distinctione imperij à iudicio, iam responsum est, tam negando assumptum, loquendo de iudicio practico, & in particulari, quam negando consequentiam, quia etiam si imperium esset etus distinctus, nulla esset ratio, ob quam semper vires naturales superaret. Ad tertiam vero opinionem respondetur in primis, licet cogitatio congrua absolute non sit debita huic, vel illi personæ, simpliciter esse debitam naturæ, & hoc satis est, ut non sit gratia. Deinde dicitur, licet cogitationem esse congruam, non sit nebitum, quia hoc pendet ex libero usu hominis, esse tamen debitum cuiusque ut possit suam cogitationem efficere congruam per naturalem facultatem, si cogitatio naturalis sit, & hoc est satis, ut talis cogitatio non sit gratia, & sit possibilis sine gratia. Ad ultimam denique sententiam negamus, cogitationem honestam merè naturalem esse posse initium salutis, idem enim est initium salutis, quod initium fidei, vel iustificationis, initium autem fidei non sumitur à cogitatione naturali, sed ab Spiritus sancti illuminatione, & inspiratione, ut tradit Concil. Arausic. c. 4. & 5. initium verò iustificationis sumitur à vocatione, ut docet Concil. Trid. sess. 6. cap. 3. & inferius latius tractabitur.

Quarta similiter.

C A P V T III.

Verum homo lapsus possit honeste operari aliquando per quamcunque virtutem, siue naturæ, siue etiam gratiæ.

1. Presentis questionis ratio est declaratio.

Priusquam de necessitate gratiæ ad rectè operandum disseramus, visum est operæ pretium de sufficientia gratiæ (ut sic dicam) ad operationem vndeque honestam, eliciendam dicere, quia si per gratiam non possent bona opera fieri, non solum necessaria esse non posset, verum etiam superflue daretur hominibus. Per actionem autem honestam illam intelligimus, quæ ex obiecto, seu fine, & alijs circumstantijs bona est: nam si aliquam habeat circumstantiam malam, iam erit mala, & ideo facile poterit ab homine fieri, etiam sine gratia, & in peccato existente: loquimurque indifferenter in quocunque actu bono, cuiuscunque ordinis, vel gradus sit. Ac denique tractamus de homine lapsa, quia de nullo alio statu hominis dubitatum est etiam ab hæreticis. Nam de statu primæ institutionis generis humani, seu innocentie, & integritatis naturæ certissimum est, potuisse rectè operari saltem cum gratia, an verò etiam sine illa, postea dicemus. In statu autem puræ naturæ vix habet locum questio, quia in illo supponitur non dari gratia, tamen si daretur eadem ratio esset de illo, quæ de statu naturæ lapsæ, iuxta superius dicta, & infra ostendemus, etiam sine gratia potuisse hominem in eo statu bene aliquid operari. Igitur tantum de homine lapsa dicendum superest. Et loquimur indifferenter de gratia, siue sit sanctificans, siue auxilians, siue utraque simul, ita ut sensus sit: an homo lapsus siue iustus, siue peccator, possit cum quocunque auxilio gratiæ bonum aliquid operari?

2. Et agitur solum contra notissimos hæreticos asserentes omnia nostra opera esse peccata.

De hac ergo questione in hoc sensu proposita nulla est controversia inter catholicos, nec existimo fuisse cum hæreticis usque ad tempora Lutheri, qui dixit, hominem in natura lapsa, quantumvis sanctum, & iustum, & à Deo adiutum nihil operari posse, quod peccatum non sit. Ita Luther. Calvin. & Melanct. & Kemmi. relati à Bellarmin. lib. 5. de Gratia, & liber.

arbitr. cap. 4. & lib. 4. de iustific. à cap. 10. Veg. lib. 11. lib. Trid. à cap. 9. Castr. ver. Opera, hæres. 1. Soto lib. 3. de nat. & grat. à cap. 3. Roffen. art. 31. & 32. cont. Luther. Idem senserunt Jacob. Præpositi, & alij plures apud Præteol. Est autem aduertendum, hos hæreticos interdum dicere, nullum opus hominis iusti, seu fidelis esse peccatum, inter omnia esse peccata: sed utrumque in sensu hæretico, non inter se contrarium. Dicunt enim opera ipsa revera in se mala, & peccata esse, si tamen ab homine fidei fiant, cum firma fide, & fiducia, quod à Deo non imputantur, nihil nocere, nec tanquam prava computari, & ideo dicunt non esse peccata in his, qui talem fidem habent, in alijs verò, qui illam fidem non habent (quos & peccatores, & infideles esse reputant) omnia opera, quantumcunque Deo adiuvante fiat, & esse peccata, & imputari. Omisso verò errore de non imputatione, de quo infra in materia de iustificatione redibit sermo, generalis eorum sententia est, omnia opera lapsorum hominum, quomodocunque fiant, in se esse vera peccata.

Fundantur primo in quibusdam Scripturæ testimonijs male intellectis, ut est illud Ecclesiast. 7. Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Psal. 13. Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum, & similia. Secundo addunt testimonium Patrum, in iudicio Dei nullam esse iustitiam humanam puram & laudabilem, nisi Deus sua pietate conniveat, ex August. lib. 9. confess. c. 13. lib. 3. contra duas epist. Pelag. cap. 7. Gregor. 9. Moral. c. 14. & lib. 35. cap. vlt. Bernar. Sermon. 5. de verbis Isaïæ, & Ser. 1. de omnibus Sanctis. Tertiò addunt rationem, quia homo peccando amisit potestatem operandi cum illa integritate, & rectitudine naturæ, quam habebat in sua prima conditione; ergo necessario semper peccat. Probatur cōsequentia, quia habet præceptum operandi in illa integritate, primò quia hoc habuit à principio, & non debuit ab illo exitum peccando, secundo quia præceptum, Non concupisces, etiam motus fomitis prohibet; tertio quia nunquam potest homo lapsus diligere Deum super omnia, prout illi præcipitur, sine cuius præcepti observatione nihil boni agere potest. Vnde illationem faciunt, hominem peccando amisisse liberum arbitrium ad bene operandum, quia non est in libertate, seu potestate eius, non sentire, & pati effrenatæ concupiscentiæ motus. Et inde fit, ut nihil agere possit sine aliqua circumstantia prava, vel quia non potest diligere Deum super omnia ratione fomitis, & ita semper operatur ex inordinata concupiscentia, atque adeo peccaminose, vel quia semper à fomite retardatur, ne convenienti modo, & secundum virtutem operetur. Vnde quia gratia huius vitæ nunquam tollit fomitem, nunquam sufficit ad bene operandum sine peccato. Hic vero error non solum impijssimus est, sed etiam stultissimus, ac vanissimus ex sola malicia excogitatus, ut homines de bonis operibus non sint solliciti, sed contenti ea fide, qua credunt, sibi non imputari peccata, illa licentius committant.

Dicendum est ergo, gratiam aliquam Dei esse sufficientem, ut homo lapsus faciat aliqua bona opera sine vlla malitia, vel culpa. Est assertio de fide, definita in Concilio Tridentino sessio. 6. canon. 7. quoad opera, quæ ante iustificationem sunt, & 18. 22. & 25. quoad opera iustorum, quibus possunt & legem implere, & in gratia perseverare, & scilicet culpa etiam veniali operari. Leo etiam X. damnauit articulos 31. 32. & 37. Lutheri huius dogmati contrarios, Præterea Scriptura passim consulit bona opera, & laudat illa præsertim in iustis, & pro illis præmium promittit; supponit ergo esse possibile, saltem per gratiam Iob. 1. In omnibus his non peccauit Iob, & c. Psal. 118. Beati immucubati in via, qui ambulant in lege Domini & toto Pl. 1. & 14. & alijs passim. Et in veteri testamento multi laudantur ut iusti, & bene operantes saltem per fidem, quorum præcipuos recenset Paulus ad Hebr. 11. Præterea in nouo testamento dicit Christus Matth. 5. Sic

3. Eorum fundamentum ex Scriptura male intellectum. 2. Fundam. ex Patribus.

3. Fundam. ex ratione.

Illatio inordinandæ hereticorum.

Prædicti roris multiplex error.

4. Assertio definita in Trident. & à Leo X. contrarium erret damnatur.

Præbatur etiam ex scriptis.

5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona. Et 2. Petr. 1. Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciat. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Et 1. Corinth. 3. præcipit Paulus, ut unusquisque videat, quomodo lupercudificet, quia unusquisque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit. Supponens, posse esse bonum, dignumque mercede, & malum igne dignum, & capit. septimo, Si acceperis uxorem, non peccasti. Certe in illo maxime actu videtur posse habere locum fomes, & ideo addit, Si nupserit virgo non peccabit, tribulationem autem carnis habebunt huiusmodi. Ego autem vobis parco. Si ergo ille actus fieri potest sine peccato, quomodo non alij? Vnde statim subdit de Virginitate, Qui non iungit, melius facit. Ad Ephesus quarto, & Psalm. 4. Trahimini, & nolite peccare. & 2. Timoth. 4. de se ait Paulus, Bonum certamen certavi, fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Quomodo hæc vera esse possunt sine bonis operibus? Et tamen eandem coronam iustitiæ promissam esse dicit omnibus diligentibus Deum. Ex Patribus multa congerere superuacaneum duco, quia in singulis fere eorum paginis hæc veritas inuenitur, & præsertim apud Augustinum libro de Gratia, & libero arbitrio & alijs contra Pelagianos; & Hieronymum dialogo contra eosdem, & in sequentibus sæpe afferemus Patrum sententias, quæ hoc supponunt, vel affirmant.

5. Ratio autem potest reddi multiplex. Prima, quia homo lapsus tenetur obseruare præcepta, & vitare peccata; ergo est hoc illi possibile, saltem de quolibet in particulari. Antecedens quoad priorem partem supponimus ex tota Scriptura sacra, & consensu totius Ecclesiæ, ipsaque ratione naturali euident, & late probatum est in materia de Legibus. Altera vero pars sequitur ex priori, quia seruando legem, vitatur peccatum, omne enim peccatum est contra legem; ergo si tenemur seruare legem, etiam vitare peccata. Imo eo ipso, quod ratio dicit aliquid esse peccatum, dicitur esse vitandum. Consequentia vero est etiam euident, quia neque lex obligat ad impossibile simpliciter, vt in tract. de Legibus etiam ostensum est, nec imputari potest ad culpam, quod vitari non potest, saltem per Dei gratiam, vt etiam est per fenotum, quia quod non est in hominis potestate, neque humanum opus est, nec morale, & ideo culpa esse non potest, vt in materia de peccatis latius traditur.

6. Secunda ratio à priori est, quia homo lapsus per originale peccatum non amisit naturalem rationem, nec voluntatem, neque factus est omnino incapax diuini luminis, & adiutorij, cur ergo non poterit operari honeste, & secundum rectam rationem, siue libertate sua, siue per vires diuinæ gratiæ? Nulla certe verisimilis ratio reddi potest, quia nec concupiscentia, nec daemon, nec quælibet obiecta occurrentia possunt absolutam necessitatem inferre voluntati, & licet possint magnam difficultatem, & interdum moralem impotentiamingere, potentior est diuina gratia omnibus viribus creatis. Et declaratur, quia homo peccando solum amisit diuinam gratiam, & amicitiam, & alia dona originalis iustitiæ, quibus ad bene operandum iuuabatur, sed Deus potest vel illa restituere, si velit, vel alijs modis æquivalentibus, vel efficacioribus hominem iuuare. Hoc enim negare est contra omnipotentiam Dei, & contra infinitam Christi redemptionem, & contra omnem rationem; ergo. Tercio possunt aliæ rationes ab incommotis sumptæ multiplicari. Nam si homo semel lapsus amplius non potest bene operari, iam est obstinatus in malo, incapaxque omnis meriti; non ergo habet locum nouum iudicium de operibus eius. Item non poterit in hac vita vquam mundari à peccato, & ita vel nullus esset homo iustus, vel simul ef-

set homo iustus, & peccator, quæ omnia, & similia sunt absurdissima, & contra expressas Scripturas.

Vnde addere secundo possumus, non solum esse possibile homini aliquod bonum interdum facere, sed etiam semper bene operari, vitando simpliciter omnia peccata, præsertim mortalia. Hoc à nobis nunc traditur de potestate absolute, ita vt gratiam includat. Et ita est certissima conclusio quoad constantem boni operationem; vitando saltem mortalia peccata. Est enim satis clare definita in dicto Concilio Tridentino sess. 6. canon. 16. 18. & 22. Et probabitur infra tractando de perseverantia iustorum. Vnde sic concluditur ratio, nam certum est, posse Deum iustificare hominem lapsum, priusquam per proprium actum peccet, vt de facto sanctificat infantes omnes, qui baptizantur, potest etiam hominem semel iustificatum perpetuo in gratia sua conseruare; ergo potest facere, vt semper bene operetur, quantum necesse est ad conseruandam gratiam; ergo ad non peccandum mortaliter. De continuo autem modo bene operandi, vitando etiam omnia venialia, licet sit certum, esse possibile ex gratia absolute loquendo, nihilominus etiam est certum secundum legem ordinariam non esse simpliciter possibile sine speciali priuilegio, vtrumque enim definit dictum Concilium supra can. 23. & infra late libro octauo, tractabitur. Nunc enim solum ostendere volumus, in toto hoc genere operationis non esse repugnantiam simpliciter, ac subinde per aliquas vires gratiæ esse possibile, siue illæ vires conferantur aliquibus, vel ex lege communi, vel ex priuilegio; siue neutro modo dentur.

Quod autem id non repugnet, probant rationes factæ in priori assertionem cum proportionem applicatæ. Quibus addimus, posse Deum sanare hominem lapsum non solum à culpa, sed etiam ab infirmitate fomicis, tollendo illum, vel impediendo omnes concupiscentiæ motus rationem præuenientes. Quid enim repugnat? Imò id iam fecisse in beatissima Virgine in 2. tom. 3. partis ostendimus; ergo saltem hoc modo potest homo lapsus semper bene operari sine vilo lapsu actuali, etiam leui, vt de beatissima etiam Virgine tenet Ecclesia. An vero fieri possit, vt non ablato, vel impedito fomite, homo innocenter viuat, etiam quoad carentiam venialis peccati disputari posset, & infra suo loco tractabitur. Nunc breuiter dico, id non ita repugnare, quin per potentiam diuinæ gratiæ fieri possit, quia nulla implicatio contradictionis ostendi potest. Nihilominus tamen non credimus, id esse factum, neque esse satis consentaneum rebus ipsis, aut suauis prouidentie Dei, quia difficilimum est voluntatem, & rationem præueniri ab inordinatis concupiscentiæ motibus, & nihilominus ita semper, & continue resistere, vt nunquam vel leniter labatur, neque deliberate, neque per aliquam surreptionem, & ideo si Deus vult, hanc vim bene, & constantem operandi homini lapsi conferre, id facit impediendo, vel auferendo fomitem.

Ad primum testimonium respondetur, Sapientem non dixisse, nullum esse iustum, qui non semper peccet, sed qui non peccet, vtique interdum, aut saepius, sicut alibi scriptum est, Septies in die cadit iustus. Prouerbiorum 24. & alibi, Non est iustus qui non peccet. 3. Reg. 8. 2. Paralip. 6. vel sicut dicitur, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Psalm. 141. vel sicut ait Ioannes. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. 1. canonic. capitulo primo. Quæ omnia solum significant, nullum esse, qui non aliquando, & sæpius peccet, interdum grauius, interdum leuiter; inde vero non fit, vt in omnibus operibus peccet. Nec etiam sequitur, quin per gratiam Dei possit fieri, vt homo in hoc statu naturæ lapsæ nunquam peccet, licet sine speciali priuilegio nemini de facto id concedatur.

10. Ad testimonium Psal. 13. particulam illam, *Non est usque ad unum*, Augustinus exponit, id est, *Præter unum Christum*. & ita videri potest locus difficilior, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Sed illa posita expositione adhuc dici posset, non esse sermonem de actibus, sed de personis, quia nullus est, qui bonum integre faciat, & qui non sæpius peccet, iuxta priorem interpretationem. Quæ regula quantumvis vniuersalis, nunquam excludit speciale priuilegium. Nam Christus non ex priuilegio, sed natura sua exemptus est ab illa regula, & ideo illa exceptio non excluderet aliam de speciali priuilegio. Verumtamen licet doctrina sit vera, non est sensus Davidis: sed sensus est, *Non est neque vnus*, Hæc enim est proprietas sermonis Hebraici, vt notant Genebrar. & Iansen. & contextus ipse postulat. Nihilominus tamen etiam in hoc sensu verum est, illa verba, *Non est, qui faciat bonum*, non intelligi, de omnibus, & singulis actibus, sed de personis, id est, non est, qui faciat bonum, id est iustitiam, ita vt sit vere iustus. Sic autem potest illa exaggeratio intelligi per hyperbolem, ad significandum rarissimos fuisse iustos. Sicut Genes. 6. dicitur.

De impiis
loquitur.

Ad 2. fun-
damentum ex Pa-
trib.

Ad 3. fun-
damentum extra
videtur.

Omnis quippe caro corruperat viam suam. Et tamen Noe familia iustorum erat. Adde etiam, non loqui Davidem de omnibus hominibus, sed de stultis, & impijs dicentibus in corde suo, non est Deus, vel existimatione, vt Athei, vel opere, & affectu, vt impij, & iniquissimi, de quibus in toto illo Psalmo loquitur, vt Basil. Theodor. & alij exponunt. Ad 2. fundamentum ex Patribus dicendum, eos tantum velle iustitiam apud humanum iudicium puram, sepe talem non esse apud diuinum, vel in se, quia re vera pura non est, vel in ordine ad finem supernaturalem, cum sit humanis tantum viribus exercita.

Ad rationem respondetur, integritatem naturæ non esse necessariam ad bonum aliquod opus faciendum, quod nulla circumstantia vitiatur. Nam in primis præceptum illud conseruandi iustitiam originale in nobis vane, & sine fundamento fingitur; imo neque in ipso Adamo fuit distinctum ab alijs præceptis, & præsertim ab illo, quo prohibebatur comedere delicto scientiæ, sub tali comminatione, vel à lege charitatis, qua tenebatur, & diligere Deum super omnia, & habere curam salutis suæ, & suæ posteritatis. Postquam vero illa integritas per Adæ peccatum amissa est, neque carentia eius imputatur nobis ad specialem culpam, præter originalem contractam ex peccato Adæ, vt fuit peccatum capitis, quod fuit solum peccatum edendi de ligno verito; neque etiam tenemur speciali præcepto ad recuperandum illum statum, seu naturæ integritatem, id enim non est in manu nostra, & præceptum non datur de re impossibili, neque ratio vlla, vel testimonium, aut vestigium talis obligationis dari potest. Vnde Christus Dominus Matth. 19. simpliciter dixit, *Si vis ad vitam ingredi serua mandata*, vtique omnia, quia *qui in vno offendit, factus est omnium reus*. Ergo non censuit esse nunc præceptum redeundi ad statum innocentie, alias vel dixisset viam salutis esse impossibilem, aut falso dixisset, necessarium esse seruare omnia mandata ad salutem consequendam.

Ad primam ergo probationem illius præcepti quod in consequentia argumenti dari inferebatur, nego habuisse homines omnes in statu integræ naturæ huiusmodi præceptum speciale, quia in se non habuerunt, cum in illo statu non fuerint, neque in Adamo, vt declarauimus; & licet habuissent illud in Adamo, fuisset tantum negatiuum, scilicet, nihil agendi, quo illum statum perderent, illo autem semel amisso, iam non potest obligare præceptum negatiuum, quia materia eius non extat, & ad præteritum non est potentia. Neque affirmatiuum datur recuperandi illum statum in hac vita, vel aliquid agendi pro illo acquirendo, quia totum hoc in-

possibile est, & alienum ab ordinatione diuina. Ad secundam probationem negatur antecedens, est enim hæreticum, quia præcepta non dantur de motibus non liberis, vt tales sunt: sensum ergo præcepti, *Non concupisces*, explicauit Sapiens Ecclesiast. 18. dicens, *Post concupiscentias tuas ne eas*. Vt notauit Augustin. libr. 1. contra Iulian. cap. 3. dicens, inutile fuisse futurum sapientis consilium, *Si iam quisque reus est, quod tumultuantes, & ad malum trahere nitentes sentit concupiscentias*. Eodemque modo exposuit Paulus ad Rom. 6. dicens, *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum concupiscentiis eius*. Vt exposuit idem Augustinus libr. 1. de Nuptijs cap. 26. & æquivalent verba Petr. 1. cap. 2. *Obscuro vos abstinere à carnalibus desideriis*, Vt notauit Clemens Alexand. lib. 3. Stromat. cap. 6. Accedit, quod non semper neq. omnibus momentis motus concupiscentiæ insurgunt, ideoque etiam si mali essent, dum actu infestant, & turbant, posset homo interdum bene operari, dum quiescunt. Similiter respondetur ad tertiam probationem de dilectione Dei super omnia, primo falsum esse, non dilectionem posse hominem lapsum in hac vita diligere Deum suum per omnia, cum hoc ei præcipiatur, & ad veram iustitiam sit necessarium, quam homo in hac vita obtinere potest, vt infra dicitur. Vnde David Psal. 118. beatos vocat omnes, qui in toto corde suo exquirunt Deum, & Ezechias de hoc laudatur Isai. 31. & Ioannes 1. canonic. cap. 2. ait, *Qui seruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta est*. Et idem supponit Christus Ioannis 14. & 15. & Paul. 1. Corinth. 13. & falsim in Scriptura traditur, & infra ostenditur, saltem per gratiam Dei posse hanc dilectionem haberi. Addimus vero nunc, etiam sine tali dilectione posse interdum esse opera bona, vt de peccatore, & infideli mox dicemus.

Ad illationem autem hæreticorum dicitur, tam falsum esse consequens, quantum est antecedens. Nam licet homo non sit liber ad non sentiendum concupiscentiæ motus, potest esse liber ad non peccandum, quia est liber ad non consentiendum illis, & secluso aliquo consensu illi non sunt peccata. Et quantis interdum operetur homo, instante, & repugnante concupiscentiæ motu, non ideo peccat, imo fortasse plus meretur, & melius operatur, quia inordinatam concupiscentiam vincit, ac superat. Nec propterea impeditur, quin actu possit diligere Deum super omnia, quia hic amor non postulat, vt hos motus non sentiamus, sed vt illis non consentiamus, ideoque potius ex tali amore prouenit, vt homo resistat concupiscentiæ, etiam si omnino illam cohibere non possit, ne motum aliquem inordinatum exerceat. Neque etiam ex tali motu, licet actu infestet, sequitur necessario praua circumstantia in opere de se bono, quia voluntas pro sua libertate, & præsertim cum diuina gratia, potest nullam talem circumstantiam admittere; imo interdum maiori conatu, & puriori intentione operari. Et quanquam interdum remissior sit operatio, non ideo fit mala, cum non teneamur cum certa quadam animi contentione operari. Igitur talis concupiscentiæ motus non potest alium bonum actum inficere, tum quia non est circumstantia eius, sed tantum concomitantem se habet, tum etiam quia non est voluntarius, vt supponitur.